

1888.

B. C. D.

DISPUTATIO POLITICA,

De

Compositione Pacis,

Quam,

In Inclyta Academia VVittenbergensi,

PRÆSIDE

VIRO Præcellente atq; Præclarissimo,

DN. M. JOHANNE MULLERO,

Facult. Philosoph. Adjuncto,

Examini publico sistit

GEORGIUS ERNESTUS A TSCHIRNHAUS,

Eqves Lusatus,

Ad d. 16. Augusti, A. S. M. DC. LXXIX.

horis locq; consuetis.



Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Per-Illustribus, Reverendisssimis, Generosisssimis,
Maximè Strenuis, atq; Excellentissimis Dominis,

DNN.

PRÆLATIS ET STATIBUS
MARCHIONATUS LUSATIÆ SUPERIORIS
EMINENTISSIMIS,

*Dominis suis Gratosissimis, Patronis & Mecenatibus
omni observantia & honoris genere atatem
prosequendis :*

UT ET

VIRIS

Generosisssimis, Perquam-Strenuis atq; Nobilissimis,

DNN.

AGNATIS COGNATISQVE
SUIS UNIVERSIS,

Patronis & Fautoribus suis Honoratissimis,

Specimen hoc Academicum,

testandi grati animi & debitæ reverentiæ,
seq; ac studia sua commendandi
causâ

offert & dedicat

RESPONDENS.



CUM DEO.

Prooemium.

Gravia hucusque & funesta ad-
modum bella Europam exercue-
runt. Sudârunt sanguine plu-
rimò tot Regna atq; Provinciae,
& in iis imprimis inclyta nostra
Germania: tot urbes & munimenta capta sunt
obsidionibus & expugnata viribus: tot oppida,
pagi, palatia, domus in cineres confederunt: tot
homines sedibus & possessionibus suis ejecti aut
aliis modis indignè tractati sunt. Rediit verò
nunc gratisimum illud tempus, quo pax par-
tim composita inter summa Capita est, partim
jàm componitur, & propediem, ut speramus,
ad maturitatem suam perveniet. Si ergò læ-
tatur omne animalium genus, cum Sol, pulsus
tenebris noctis, jubare suo partem hanc, in qua

A 2

degi-



degimus, irradiat. Si a vicula sub primam statim auroram lucem redeuntem sua visissimis cantibus excipere solent. Quid nos, qui ratione pollemus & intellectu, atq; his dotibus bruta animantia longè anteimus, fas erit agere, quando nunc, dissipatis belli atrocissimi tenebris, exoptatissima pacis lux iterum illucescit? Quare salve ò pulcherrimum & dulcissimum Pacis nomen. Meritò Te Germania nostra, satis hætenus afflicta & dilacerata, hac voce, (paucis tantum immutatis,) alloquitur, quæ Aeneas Hectorum suum redeuntem in somniis, (det autem DEUS, ut, quam de te concepimus spem, somnium non sit,) apud Poëtam Principem compellat:

O lux terrarum, spes ò fidissima nostrum,
Quæ tanta tenuere moræ? quibus, ò Dea,
ab oris

Expectata venis? ut te post multa meorum
Funera, post varios hominum magnosq; labores

Jam læta adspicio! -- -- Æn. II.

Atq;

Atq; ego quidem, ut letitiam meam ex commu-
ni patrie bono perceptam declararem, nullum
aliud argumentum, cum specimen aliquod stu-
diorum edere vellem, mihi elegi, quam quod de
COMPOSITIONE PACIS ageret. Ante
omnia autem veneror Numen caeleste, ut huic
proposito meo secundam benedictionis suae auram
adspiret, quò & incipere rectè, & perficere, quod
cœpi, dexterè valeam.

§. I.

Rius verò, quam portu provehar, con-
siderandum mihi erit, quamnam Cynosuram
hic observare velim, quò navis mea sine omni er-
rore in vasto hoc pelago decurrat. Visum autem
est sequi versiculum communem, cui multum veteres in expo-
nenda accuratè aliqua re tribuisse constat:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomo-
do, quando.*

Dicam enim primò, quoniam sint illi, qui pacem componunt:
deinde quid sit & in quo consistat Pacis compositio: porrò in
quo loco tutissimum sit pacem inire: præterea quibus rem
adjuvantibus pax soleat obtineri: ulterius quid movere de-
beat partes disidentes, ut pacem faciant: denique quo pa-
cto & quibus actionibus pax sanciat: & tandem quo tem-
pore imprimis huic negotio operam dare expediat.

§. II.

QVIS.

Causa igitur prima & suprema pacem regnis concilians DEUS est, fons & origo ut bonorum omnium, ita & hujus, quò nullum fingi & excogitari melius in terris potest. Audiamus Ipsum loquentem per Mosè, Cancellarium suum in populo Israëlítico: Ego, inquit, daturus sum pacem regionibus vestris, ut dormiatis securi, & non sit, qui vos terreat, Levit. XXVI, 6: quam quidem promissionem repetit interprete Jeremia c. XXXIII, 9. Æquum proinde, ut, quotiescunque bellum gerentes in pacem propendent, ac de pace in congressibus publicis acturi sunt, ante omnia DEO supplices preces allegent, quò negotium hoc felici exitu coronet: item ut, posteaquam inita pax est, Numini cœlesti pro summo isto beneficio canant laudes & gratias reddant. Non quidem id neglectum huc usque in Imperio Romano est, dum non tantum fervente adhuc bello Tempora personarunt supplicationibus pro pace institutis, sed & jam, eâ sancitâ inter Divum Casarem nostrum statumq; Imperii & inter Liliorum Regem aliosq;ve, solemnia Jubilâ à Principibus passim imperata, & insigne illud Christianorum Halleluja, Te Deum laudamus, ubivis ingeminatum est: quod & apud nos in Saxonia, ex mandato piissimi Octoviri nostri, prope diem usu venit.

§. III.

Secunda causa sunt illi, qui proximum à DEO locum in his terris occupant, Reges scilicet, Principes, & alii, qui Juribus Majestatis & potestate summâ pollent. Uti enim solus majestatem habens bellum indicit, ita & solus pacem firmat. Hinc est, quòd Philosophus 4. Politicor. 14. potestatem bellum gerendi & pacem pangendi conjungat, hanc inter alia reddens causam 7. Politicor. 15. quia Pax sit finis Belli, atque ideo bellum geratur, ut in pace degamus. Quamobrem pedibus ire non possum in eorum sententiam, qui solos interdum Exercitibus Duces, Jure Majestatis deftitutos, pacem contrahere posse con-

se contendunt. Equidem Inducias dare posse Duces iis, quos oppugnant & obsessos habent, non repugno: at transigere de pace sine consensu Principum non possunt. *Vid. Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 22. §. 7. 8.*

§. IV.

Est tamen, quando Princeps pacificans cum hoste etiam alias personas in societatem hujus rei adsciscere, vel planè ad alios jus hoc transmittere cogitur. Prius fit (1.) quando Rex aut Princeps habet potentiam cum Ordinibus divisam, ita ut status Regni etiam aliquam partem Majestatis possideant. Sic Imperator Romano-Germanicus Jus Belli & Pacis in Imperio Romano exercet advocatis Imperii statibus atque membris. Cautum enim est in *Capitulatione Caroli V.* quæ legitur apud *Sleidan. lib. 1. de Statu Religionis & Reipubl. ne Imperator pro rebus Imperii, nisi de Ordinibus, præcipuè autem Electorum, voluntate intra, vel extra fines Imperii Romani bellum ullum suscipiat, neq; peregrinum militem absq; illorum consensu in Germaniam adducat.* Et in *Capitulatione hodierni Imperatoris Leopoldi artic. 13.* hæc habentur verba: **Wir sollen und wollen uns auch darzu in Zeit be-
meldeter unserer Regierung gegen den benachbar-
ten und anstossenden Christlichen Gewälten fried-
lich halten / kein Gezänck / Sehde noch Krieg / ins
oder ausserhalb des Reichs von desselben wegen
unter keinerley Vorwand / wie auch der sey / ohne
der Churfürsten / Fürsten und Stände / oder zum
wenigsten der sämbtlichen Chur- Fürsten Vorwis-
sen / Rath und Einwilligung anfangen oder vor-
nehmen / noch ohne icht gedachten Consensz einiges
Kriegs Volck ins Reich führen oder führen lassen.**

Vid. Cellar. Politic. lib. 2. cap. 11. §. 2. & 3. item Burgoldensis in

No.



Notit. Rer. Imper. part. 1. discurs. 10. Jam quæ ratio belli suscipiendi, ea & sancienda pacis est. Unde & pacificationem Passaviensem, Monasteriensem item atque Osnabrugensem, & tandem nuperam Neomagensem cum consensu Ordinum & Statuum Imperii fuisse initam, neminem latere arbitror. Ita & in Polonia Jus pacis constituenda non ad solum Regem pertinet, verum ad ejus stabilitatem Senatores atque Ordines Regni Polonici & Ducatus magni Lithuanici concurrere debent. (2.) *Quando Princeps captus est.* Quamvis enim per captivitatem non amittat majestatis prerogativam, si alius in locum ejus nondum successerit, imprimis in regno hæreditario: tamen majestas ejus tunc valde obscurata & nubibus quasi densissimis velata est. Quam ob causam Carolus V. gloriosæ memoriæ pacta cum captivo Galliarum Rege Francisco I. inita rata haberi volebat à Proceribus Regni, ut testatur *Gvicciardinus lib. 16. historiar.* Posterius contingit, quando Princeps aut est ætatis immatura aut inops mentis: eò enim casu jus paciscendi est penes illos, qui tum temporis curam ejus gerunt.

§. V.

QVID.

Est autem Compositio Pacis conventio Principum belligerantium de bello finiendo, honesta, sincera & perpetua. Genus in hac definitione est *conventio*: quod ostendo, quia hæc est latior pacificatione, est etiam de ejus essentia; quæ duæ notæ boni generis sunt. Latior esse constat, quia & de aliis rebus conventiones dantur, quales sunt verbi causa emptio, venditio, locatio, conductio, &c. Esse de essentia probo, quia conventio est duorum pluriumve in idem placitum (de dando aut faciendo) consensio: quæ pacificationi exactè conveniunt.

§. VI. Dif.

§. VI.

*Differentia petita est primum à causa efficiente, quæ sunt Principes, (quorum nomine hic veniunt omnes majestate præditi,) belligerantes: quæ res ex dictis in §. 3. sine negotio intelligi potest. Deinde à scopo sive fine, qui est belli cessatio: per compositionem enim pacis bellum planè aboletur ac tollitur. Atque ex hoc patet, quomodo Pacificatio differat à pactione Induciarum, quæ, teste Donato, dictæ ita sunt, quòd in dies certos dentur vel otium præbeant: Varro eas ferias belli appellat. Etenim in Induciis non desinit bellum, sed ad certum tempus protrahitur actio hostilis; manent mutua odia, quamvis ad tempus pugna seponatur. Hinc Galli eleganti admodum vocabulo naturam Induciarum exprimunt, quando illas nuncupant *Suspension d' armes*, intelligentes optimè, quòd illis initis suspendantur potius arma, quàm abjiciantur, resumenda nempe ab integro, peracto illarum tempore.*

§. VII.

Tandem etiam differentia *ab adjunctis vel requisitis Pacificationis* desumta est. Debet enim ea esse (1) *honestæ*. Nam quod contra bonos mores & honestatem existimationemq; & verecundiam est, nullum Virum bonum, nedum Principem summum facere decet. Honestæ autem pax dicitur illa, quæ tolerabilibus conditionibus bellum finit, ita ut altera pars, v. g. victor, non nimium sibi arroget, altera autem, exempli causâ victus, non plus, quàm par est, amittat. Quinimo inter Christianos Principes Pax non tantum debet esse honesta, sed etiam *Christiana*, i. e. ita comparata, ut nihil contineat, quod DEO, sacris literis, & doctrinæ veræ Ecclesiæ repugnat. Hinc est, quòd in Instrumentis pacis statim ab initio hæc verba ponantur: *Es soll ein Christlicher Friede seyn zwischen ic.* (2.) Debet esse *sincera & candida*, nihil fraudis, fuci & insidiarum habens, distans

B lon-



longissimè à verbis æquivocis, & ad pompam tantum & fl-
mulationem excogitatis. Etenim cum quivis Vir bonus à
naturæ lege ad id adigatur, ut verba proferat menti & in-
ternis conceptibus animi consentanea, multò magis hoc
decebit Principes in talibus negotiis, quæ maximi sunt mo-
menti, & salutem publicam concernunt. Hoc indicant
rursus Articuli pacis, quando hæc in iis extant verba: **Es soll eine wahre und aufrichtige Freundschaft seyn**
ic. (3.) Debet esse *constans & perpetua*, ut Principes sibi
præsumant, se omni tempore cum posteris suis immanuros
conditionibus his esse. Cum enim jam cessent odia, requi-
rit æquitas, ea in perpetuum debere excludi, quoniam, ex
dicto Sapientum, odia ad tempus durare, amicitia autem
æternæ esse debent. Unde apud veteres Romanos in usu
fuisse comperimus, ut pacem cum hoste confirmantes dice-
rent: *Pax sit, dum cælum & terra durat*. Et testantur ite-
rum hac de re publicæ pacis monumenta, cum dicunt,
**daß ein unverbrüchlicher / beständiger und immer-
währender Friede seyn soll** ic. Ut adeò elucescat spon-
te sua, *quid de distinctione communi Politicorum in Pacem tem-
porariam, & perpetuam habendum sit*. Nam Pax temporaria
non nisi improprie dicta Pax est, & magis Induciarum,
quàm Pacis rationem habet. Talis est plerumque Pax Tur-
cica cum Christianis & Imperatore Romano inita: Nam,
ut exemplis aliis parcam post finitum bellum ultimum Tur-
cicum, Anno supra millesimum sexcentimum sexagesimo
quarto, ad viginti tantum annorum spatium pax inter Glo-
riosissimum nostrum Imperatorem Leopoldum & Maho-
metem IV. Turcarum Tyrannum sancita est. Vid. plura de
Requisitis Pacis ap. Gockel. de Regibus Europ. & eorum Juribus
Majest. c. 19.

§. VIII.

*Loquor verò de pace, qualis de Jure esse debet. Nam sæcus
plerumq; proh dolor! se habere rem, quàm hic descripta est, expe-
riens-*

scientia, verum *Magistra*, docet. Nam (1.) loco ejus, quòd pax
debeat esse honesta, proponuntur ut plurimum, dum pacisci
volunt partes, à victoribus maximè, conditiones intole-
rabiles, quia quivis suo commodo, neglectà planè alterius
salute, studet. Sape etiam metu & minis à victo talis extor-
quetur pax, quæ huic & hujus ditionibus maximum detri-
mentum adfert. Quamvis talis amicitia diuturnitate gau-
dere nequeat, cum vero non sit simile, populum aliquem
in ea conditione, cujus eam poenitet, & in quam indignè
reductus est, diu mansurum. Quare *Prævernatum Legatum*,
interrogatum Romæ in Senatu, qualem à Romanis Pacem
expectaret? reposuisse accepimus: *Si bonam dederitis, &*
fidam, & perpetuam; si malam, haud diuturnam, Liv. 8. 21. (2.)
Pro eo, quòd Pax carere furo debeat, fraus & dolus plerum-
que in pactionibus regnant. Dum enim interdum tempo-
rum iniquitati cedendum est, absconditur in tantum ani-
mus hostilis, & pelle vulpinâ tegitur: simul ac verò se ite-
rum occasio offert commoda, vel viribus propriis collectis,
vel adversario alibi fracto aut impedito, arma iterum su-
muntur, bellumq; maxima vehementia integratur. Ut ve-
rò speciem aliquam fraus habeat, vel in alium sensum verba
Instrumenti pacis exponuntur, vel alia quæcunque in men-
daci cerebro nata causa prætenditur. Sic & (3.) quod vel
ex jam dictis apparet, perpetuitas rarò pacis pedisequa est;
sed plurimi, pacem promittentes æternam, hanc æternita-
tem ætate sua, at quid dico ætate? paucis omnino vitæ suæ
annis metiuntur. Unde lepidè non nemo ait, *caducèum*,
pacis insigne, quod communiter existimant dici quasi *xy-*
gnesov, à *caduco* potiùs *appellationem suam sortitum*.

§. IX.

Cæterùm *transigendum* Pacis negotium est *in loco com-*
modo, tuto, minimèq; suspecto, ut non tantum eò Legati ab o-
mnibus sine magna difficultate mitti & cum his commer-
cium literarum ex Aula institui possit; sed ut etiam ii non

UBI.

B 2

infe-



infestentur à milite, aut in ordinem redigantur à parte altera, & conditiones suo Principe indignas recipere cogantur. Quæ hoc anno sancita Pax est inter Cæsarem & Gallum & ex utraqve parte Fœderatos primùm quidem tentabatur *Colonia Agrippina*, postea verò *Neomagi*, post aliquot annorum deliberationem, perficiebatur. Est verò Neomagum urbs Geldriæ in Fœderatis Provinciis nobilis, Germanicè *Niemgen* / à qua oppidulum *Niemeg* / quarto à *Witeberga* lapide distans, nomen accepit, quia *Hollandi* & *Flandri* seu *Flemmingii* ad *Albin* & *Havelum* quondam consedisserunt. Sic & *Upern* / *Prüg* / *der Flemming* / & alia nobis vicina à locis *Flandriæ* aliarumq; in *Belgio* Provinciarum dicta esse videntur. Vid. *Dresser. part. 5. Isagog. Histor. de præcipuis Germania urbibus.* Inter *Danum* & *Svecum* de pace jam agitur *Lundini* in *Scania*.

§. X.

**QVIBUS
AUXILIIS.**

Causa Pacem adjuvantes & promoventes sunt primùm *Mediatores*. Nam sæpe Principes bellis fessi pacem quidem tacitè suspirant, cæterùm eam ab hoste petere neutra pars ex dignitate sua esse putat. Quo casu, & ne longius serpat belli pernicies, apta ratio est, quosdam se præbere medios, qui monendo, rogando, denique suo modo invitos cogendo faciant, ut & pax obtineri queat, & neuter indecorè pactus videatur. Sic nuper inter Imperatorem & Regem *Galliæ* eorumqve Fœderatos medium se interposuit *Serenissimus Britannia Rex CAROLUS II.* misis *Neomagum* Legatis splendidis, qui omnem moverunt lapidem, ut exacerbati animi tandem lenirentur, & uniti amicè coirent, ac rem etiam tandem felicissimè dederunt effectui. Ita & jamnum Mediatorem inter Reges *Boreales* agit *Serenissimus noster Elector, JOHANNES GEORGIUS II. Pater Patriæ Inclytus,* ablegato in *Daniam* & *Sveciam* Heroë Per-Illustri Domino
NI.

NICOLAO, Lib. Barone de GERSDORF, Patrono nostro summo.
Qui quidem ut concreditam sibi Provinciam magnâ fide &
dexteritate administrat, ita precamur divinum Numen, ut
Ipsius labores felici coronet successu, Ipsumq; incolumem &
palmæ honore ornatum in Patriam reducat. Manebit er-
gò Illos omnes sine dubio benedictio ex altissimis, quæ ex-
clamat: *Beati pacem facientes, quoniam filii DEI vocabuntur,*
Matth. V, 9. Requiritur verò à Mediatore, ut non sit suspe-
ctus, & uni parti plus, quàm alteri, addictus, sed ut æquè utri-
usque commodis studeat: deinde, ut condiciones pacis pro-
ponat, easq; cum parte utraqve communicet.

§. XI.

Deinde causam Pacis quoque adjuvant *amici congressus*
Legatorum. Cùm enim partes bellantes à Mediatore solici-
tantur, vel altera pars belli pertaxa pacem ab altera petit, eò
plerumque res deduci solet, ut Legati partium disidentium
in loco aliquo conveniant, ibiq; inter se deliberent, quibus
rationibus Pax componi queat. Ubi notamus ante omnia,
melius omnino esse, mitti Legatos, qui de Pace consultant, quàm i-
psos Principes inter se invicem congregari. Nam Majestati major
è longinquo reverentia est, quàm è propinquo. Deinde
hærent adhuc in animis Principum actiones hostiles, quæ le-
vi ortâ occasione discordiam citius excitare, quàm veteres li-
tes consopire queunt. Est enim ita comparatum cum natu-
ra humana, ut omnes ferme actiones hostium nobis generent
opinionem sinistras, quæ facile erumpere in rixas & discordi-
as externas queunt. Addo & hoc, quòd sæpenumerò sessio,
præferentia & præcedentia, uti vocantur, lites & contentio-
nes inter Principes parere possint. Hinc observatum à *Co-*
minatio lib. 2. cap. 8. & Henon. disp. 7. Polit. n. 89. sæpissime tales
Principum conventus sinistram sortitos eventum esse, dum
aliquis ex iis vel interfectus vel saltè captivitati mancipa-
tus fuit. Manet ergò, potius mittendos legatos esse.



§. XII.

De his autem monent Politici, *debere eos esse inclytos genere, ne à parte altera contemptui habeantur: debere etiam prestare virtute & dexteritate agendi, ut negotium sibi commissum rectè expedire valeant.* Et, cum mittantur ad integrandam amicitiam & concordiam, præcipiunt, *caveri debere ab ingentis turbulentis & inquietis, quales ferme milites esse solent. Est verò Principum, ut his Legatis ante omnia impetrent saluum conductum, sicut appellant, per quem inviolabilis ac Sancta Legati Persona efficitur apud eos, ad quos mittitur.* Est enim salvus conductus justum præsidium immunitatis ab offensione, damno & inquietatione l. Principalis vel Consiliarii, ut securè veniant, in loco maneant, causam suam expediant, & pro placito iterum recedant. Germanicè vocatur *der Geleit's Brieff.* Porro, *ut eis prospiciant de comœatu, & literis, uti dici consueverunt, Credentialibus: ex his enim literis Majestas Legati cognoscitur.* Tandem etiam, *ut eos instruant mandato, ad quod in transactione, tanquam ad normam aliquam respiciant; & quidem sufficienti, ut plenam potestatem transigendi, (unde etiam Plenipotentiarii vocantur,) ubi commodum fuerit visum, habeant.* In quo tamen excipiuntur casus magni momenti, qui in mandato expressi non sunt: his enim lese offerentibus Legatus potius debet consulere Principalem suum, quam proprio ausu transigere. Obiter hoc addo: Quamvis ministris s. Legatis mandatum plenum detur, tamen eorum conclusa, teste Europæorum Regum praxi, aliter non valent, nisi ipsorum Principum approbatio postea accedat.

§. XIII.

Legatis verò ipsis, cum ad congressum ventum est, hæc incumbunt. Ante omnia & ipsi exhibent literas mandati, & vicissim mandata Legatorum partis alterius cognoscunt. Ubi observant prudentiæ civilis conditores, formulas mandatorum, adversæ partis accuratissimè esse excutiendas, & ad earum vim omnia consilia actionesque cum Legatis ejus institutas constringendas. Falleretur enim vehementer, qui mandatario plus

plus crederet & tribueret, quam ille in mandatis accepit: ideo illi nihil cedere aut permittere oportet, quod supra limites mandati exhibiti sit. vid. Boxhorn. disquisit. Politicar. cas. 40. Post hæc debent cavere, ne ab altera parte sub pretextu tractationis longa occasio publicarum bene gerendarum suis eripiatur, aut adversariis ansa magis perficiendi res suas subministretur. Sic enim compertum est, in motibus Belgicis adversus Hispanos plurimos ab Hispanis indictos ac institutos conventus esse, in quibus id unum agerent Hispani, ut longis deliberationibus traherent tempus, post quas nihil essent concessuri, & interim occasiones præsentis rerum bene gerendarum stabiliendæque libertatis ereptas irent Belgis. Quod quidem, licet serò, tandem Belgæ odorari cœperunt. Vid. Boxhorn. cit. cas. 54. Ulterius debent ante omnia in tractatione fontem malorum & controversiæ unde bellum exortum, respicere. Frustra enim, quamdiu hic obstructus non est, operam insument in rivulis siccandis. Hinc est, quod Comes Servientius, Regis Galliarum Plenipotentarius in transactione Osnabrugensi dicere solebat: In sciendis à facilioribus, in tractatibus verò pacis à difficilioribus inchoandum. Tandem non debent se duros & difficiles, sed mites & blandos præbere adversus alterius partis Legatos, nec declinare eorum colloquia privata & convivialia. Hoc enim pacto sæpe pacem maturari, privatim autem in pacificatione Osnabrugensi multa gravaminum puncta absoluta esse, tradit Burgold. citat. p. 1. p. 143.

§. XIV.

Tandem etiam faciliorem ad pacem viam interdum sternunt Inducie, quas propterea pacis progymnasmata à quibusdam dictas scio. At enim verò utut sæpe numero illæ salutare fuerint, ob insecutam pacis quietem, tamen nonnunquam etiam exitiosas fuisse animadverto, ut adeò non nimium istis fidendum esse videatur. Etenim per eas sæpe hostis non pacem quarit, sed occasionem reparandi vires suas, ut postea eò majori vehementia nos adoriri queat. Contra ex nostra parte, spe pacis per prævias inducias militibus injecta, quæ est
humana-



humani ingenii oscitantia & à labore ad quietem proclivitas, animi illorum segniores fiunt, & multum de ardore suo remittunt. Hinc Forstnerus *Omnis. in Not. ad Tacit. p. 8:* *Persto, ait, firmus in eo, plus Hispania Regem contra Fœderatos Baravos duodecennialibus Induciis, quàm quadraginta annorum bellis profecisse. Nam inde discordia, negligentia ac incuria aperta fenestra, & per eas majori vi, quàm per ruinas urbium & machinarum bellicarum violentiam labefacta est res Belgica.* Magis ergò expedit, inter ipsas de pace deliberationes bellum continuari, nec desisti ab armis, priusquam composita pax sit, prout his temporibus factum esse meminimus, & nunc adhuc usu venire in Dania Sveciaque videmus. *Vetus enim verbum est, sub clypeo melius succedere pacis negotium.*

§. XV.

Dum verò diximus in §. II. institui Legatorum congressus, quando pars una disidentium ab altera pacem petit, duæ non ignobiles Politicorum Quæstiones enodandæ adhuc videntur. Nam primùm quæritur: *An indecorum sit Principi alicui pacem ab altero petere?* Nos censemus, indecorum non esse, si id exigat Salus Reipublicæ, quâ Princeps nihil prius antiquiusve habere debet. Nec enim absolutè dedecet Principem petere ab altero beneficium, cum Principes sæpe petere diademata Regia, imò Reges ipsos petere coronam alterius Regni dignitatemque Imperatoriam videamus. Fatemur equidem, plures ad hanc rem ægre adduci, ut pacem petant, putantes, suæ aliquid existimationi hac re decedere. Hinc Carolum V. ab ineunda pace cum Henrico II. Galliarum Rege diu abstinuisse refert *Bodinus lib. 5. de Republ. c. 5. p. 569.* quòd pacem à Rege petiisse incerto rumore diceretur.

§. XVI.

Deinde quæritur: *An pax oblata omni tempore sit accipienda?* Ad hoc videtur distinctè responderi debere. Vel enim pax offertur ei, qui æquo hæctenus Marte pugnavit vel ei, qui in bello

bello succubuit, vel denique ei, qui superior evasit. *Si offeratur
æquali, accipienda omnino est, cum ob dubios belli casus, tum ob
pacis utilitates bellique incommoda, quæ in Rempublicam
redundant; de quibus quidem differendi mox uberior occasio
nobis dabitur. Si offeratur inferiori, accipienda ea est, si sit hone-
sta & sincera, prout comparatam omnem pacem esse debere,
suprà audivimus. Dixi primùm si honesta sit, i. e. si conditio-
nibus tolerabilibus nitatur. Enimverò si sit ignominiosa &
illiberalis, quæ in servitatem nos præcipitet, omnia priùs expe-
riri armis, quàm pacisci Principem decet. Quamvis enim
pacem vel injustam utiliore esse bello justissimo Eloquentia
adseruerit parens, tamen profectò in servitatem cadere, in pri-
mis Principi, grave est, ut ait ille de porticu sapiens, & potius
cum dignitate cadendum, quàm cum ignominia serviendum
videtur. Datur tamen hîc casus eximius, si videlicet bellum
victi injustum sit: tunc enim statuimus, debere eum potius
consentire in pacem ignominiosam, quàm arma injusta diu-
tius in manu tenere: ibi enim inservit hominibus, hîc vitiis,
quod multò turpius est. Deinde dixi, si sit sincera. Regnant
enim, ut in Induciis, ita & in pace sæpe fraus, dolus atque dece-
ptio. Quidam pacem nobis offerunt, ut tantùm animos no-
stros voce gratâ deliniant, & dum ad accipiendum has vel illas
conditiones sumus faciles, in nassam suâ nos traducunt: veluti
Hispanos egisse cum Friderico Palatino, eique atque ejus socero
Jacobo Britannia Regi promittendo pacem illusisse, ut absti-
nerent ab armis, superiorum temporum historia testatur.
Quidam temporibus servientes pacem quidem componunt,
veteres tamen in animo servant inimicitias, mox regressuri ad
arma, si detur occasio commoda. Intelligentes & experti
has technas Hollandi superiori seculo, anno 1592. cuderunt
nummos, in quorum priori latere ancilla Hollandiam repræ-
sentans, dormiens in septis suis recubabat, clanculariâ vi infe-
stata, cum inscriptione: *Pax patet insidiis.* In altero latere
Hollandia repræsentatrix puella, sedens intra septa sua bonis
præfidiis custodita muniebatur, cum hac inscriptione: *Tuta sa-
lva bello.* Quare exactissimò studiò & scrupulosâ curâ exami-
nare*

nare decet, utrum qui pacem nobis offerunt, id serio velint?
Valet etiam hinc illud Epicharmi: *Nervi atque artus sunt sapientiae,
non temere credere. Nam qui in civilibus facile credit, facile deci-
pitur: ac multa imperia ad scopulos nimiae confidentiae nau-
fragium passa sunt. Tandem si pax offeratur superiori, acceptan-
da etiam est, cujus rei rationes ex jam dicendis erunt mani-
festae.*

§ XVII.

CUR?

Nam ostendemus nunc etiam, quidnam partes bella ge-
rentes movere debeat, ut manus amicas sibi porrigant pacemque in-
eant. Sunt autem causae aliae impulsivae ex parte victi, aliae ex
parte victoris, aliae ex parte utriusque. Ex parte victi stat neces-
sitas, cujus cum propter acceptas clades valde deilitatae sint
vires, decet eum cum victore redire in gratiam, ne se & subdi-
tos suos extremae ruinae objiciat, posito vero hoc, cujus antea
facta est mentio, si pacem tolerabilem possit obtinere. A parte
victoris militat gloriae cupiditas. Gloriae enim plenum est, eum,
qui bello evasit superior, non abuti sua fortuna, ac funditus
perdere eum, quem superavit, sed finem bellandi facere, ad ex-
emplum leonis generosi, de quo Poeta ait:

Pugna suum finem, cum jacet hostis, habes.

Sicut contra turpitudini est, saevire in victos, & onerare affli-
ctos afflictionibus majoribus. Item metus vicissitudinis rerum.
Fortuna enim vitrea est, cum, cum splendet, frangitur, ait Publus Mi-
mus. Speciatim autem belli ea est natura, ut, qui primum usi sunt
fortunam secundam, adversam tandem experiantur, ut recte monet
Philosophorum Coryphaeus 1. Rhetor. ad Alexandr. c. 3. Saepè

*Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.*

Quis nescit, opus esse plenum periculosa alicui, ut loquitur Ly-
ricorum, pater, cum hoste desperato pugnare, qui in extremo
discrimine constitutus omnia tentat, & nec vitae nec ullius rei
rationem habet?

Quon-

Quondam etiam victis redit in precordia virtus.

Poëta cavit Mantuanus *Æn.* II.

Atq; hinc est, quod Poëta Græci Martem vocarint Ἀλλοπερ-
αλλου, eò quod dubiò brachiò modò in hanc modò in alte-
ram partem victoriam spargat ac derivet. Equum proinde,
victorem se præbere facilem, nec duris conditionibus proposi-
tis pacem remorari. *Ex parte tandem utriusq; occurrit salus*
Reipublica, & utilitates, quas Pax secum portat. Pacis enim tem-
pore, ut mea faciam verba *Cellarii Polit. cap. 12. §. 3.* coluntur agri,
latæ pascuntur pecudes, ædificantur villæ & oppida, augentur
opes, florent leges, *Reipublicæ disciplina viget, religionis stu-*
dium fervet, pauperibus bene est, nec malè est divitibus, erudi-
ri potest juvenus, florent boni, minùsq; peccant mali. Con-
trà verò belli ingruente tempestate myriades malorum simul
irruunt. Armenta abiguntur, segetes proteruntur, agricolæ
trucidantur, urbes & villæ spoliantur soloq; æquantur, leges
silent, religio contemptui habetur, juvenus pessimis moribus
corrumpitur, nec malorum finis ibi est. Plura in hanc rem
vid. ap. *Heider. Syst. Polit. p. 634. seqq. it. ap. Gaill. tractat. eleg. de pa-*
ce public. c. 1. §. 4.

S. XVIII.

Nunc manifestum etiam faciemus, quibus modis & rationi-
bus componi pax qu. post deliberationes & consultationes plu-
rimas tandem convenerunt inter se Legati, soleat. Primum
plerumq; constituitur *Amnestia*, quâ sancitur, natos ex mutuis di-
scordiis dolores & iras, sublato vindictæ studio, aboleri debe-
re. Hinc *Berneggerus orat. de Amnestia* eam hoc pacto descri-
bit: *Amnestia est irarum datorumq; ultrò & citrò damnorum & il-*
latarum injuriarum publico decreto sanciea oblivio. Quam obli-
vionis legem primum tulisse *Thrasymbulum*, inclytum Athenien-
siam ducem, & hac ipsa placasse *Rempublicam*, apud *Cornelium*
Nepotem, scriptorem nitidum atq; elegantem, legimus rela-
tum. Ita enim hic de *Thrasymbulo c. 3: Præclarum*, inquit, hoc

QUOMODO.

C 2

quod



quoque in Thrasibulo, quod de reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset, legem tulit, ne quis antea eorum rerum accusaretur, neve multaretur: eamque illi legem oblivionis appellarunt. Neque vero hanc tantum ferendam curavit, sed etiam, ut valeret, effecit. Nam cum quidam ex iis, qui simul cum eo in exilio fuerant, eadem facere eorum velent, cum quibus in gratiam reditum erat, publice prohibuit, & id, quod pollicitus erat, prestavit. Merito autem Amnestia fundamentum Pacis appellatur à Cicerone, cum quod nondum sublatam ex animo amaritudine & vindictæ cupiditate non firma possit contrahi amicitia, tum quod in injuriis ab hac & illa parte illatis adeo exacte omnia componi nequeant, quare optimum est factorum patratorem oblivisci. Quam de causam etiam Melancthon, communis ille Germaniæ præceptor, de Amnestia hoc judicium ferre solebat: Wenn man einen Wagen mit Eiern umwirfft / so ist es unmöglich / daß man die ganze Zahl wiederumb zusammen bringet: also muß man auch in solchen Fällen viel verschmerzen und vergessen. Quæ verba Berneggerus Latine ita effert: Ut, ovorum everso curru, non possunt omnia ova integra colligi: sic post talem Reipublicæ confusionem boni multa consulenda sunt, privataeque injuriæ sunt negligendæ, dummodo reliquo corpori consulatur. Nec Amnestiæ hujus immemores fuerunt partes nuper paciscentes Neomagi. Nam, ut alia exempla omittam, Articuli pacis, quos Cæsar confirmavit cum Sveco, ita habent: Und damit dieser Sache desto besser werde gerathen / so ist von beyden Seiten beliebet worden eine ewige Amnestia und Vergessenheit derer Dinge / welche von Anfang dieser Unruhe / an was Ort und auff was Weise dieselbige von einem und dem andern Theile gegen einander feindlich verübet sind / also daß etc. Unum addendum adhuc circa Amnestiam est, nempe debere eam esse universalem, ut omnes omnino ex parte utraque complectatur, (quare etiam

voce

voce exotica *General-Perdon* appellatur,) aliàs enim semper occasio novis litibus & querelis nascetur. Unde iterum in Instrumento pacis jam citato : Und dieser Amnestia und deren Wirkung sollen sich zuerfreuen haben alle und jede beyder Theile Vasallen und Untertanen / daß niemand soll zum Schaden und Nachtheil erreichen / so es mit diesem oder jenem gehalten / etc. Si tamen excludendi quidam sint, qui summis se obstrinxerunt flagitiis, debent ii specialiter exprimi. Quamvis qu. Reges & Principes Amnestiam sanciant cum subditis rebellibus, veniam quidem omnibus in decreto suo dant, sed interim tamen juris & autoritatis suæ esse statuunt, illos, qui enormiter peccarunt, ubi tempus & occasio ferunt, debitis suppliciis adficere, sicuti nuper admodum id immorigeri Siculi, inprimis Messinenses, experti sunt. Vid. de hoc *Boxborn. cit. cap. 52.*

§. XIX.

*Deinde res bello acquise in Articulos pacis rediguntur, (de quibus tamen antea oportuit actum esse à Legatis, cum plerumque primarium punctum sint,) ut illæ vel retineantur, vel restituantur, vel permulentur, vel certa pecuniæ summa redimantur. Sic nuper Cæsar retinuit Philippi, ut vocatur, Arcem, Gallus autem urbem Friburgum, quam quisque armis occupaverat. It. Galliarum & Hispaniarum Reges convenerunt, quantum alterutri ex occupato Belgio sit vel retinendum vel restituendum. It. Sveco restituti Ducatus Bremensis & Verdensis, solutâ certâ pecuniæ summâ Ducibus Brunsvicensibus &c. &c. Cæterum quænam sub restitutionem veniant, quæ minùs, vid. ap. *Grot. de J. B. & P. & ap. Grot. inprimis Gudelin. Commentar. de Jure Pacis cap. 5.**

C 3

Huc



Huc etiam pertinent *Satisfactiones*, quando belli sumtus refunduntur illi, qui vel superior evasit in bello, vel alterum armis juvit. Nec non *dimissiones captivorum*, quando captivi in bello vel liberi gratis dimittuntur, vel permutantur invicem, ne jure gentium ad servitutem aut carceres perpetuos redigantur.

§. XX.

Quando conventum utrinque est, *conventio illa literarum monumentis consignatur*. Ubi circa vocabulorum usum loquendiq; formulas, circa inscriptiones item, subscriptiones, titulosq; Regum ac Principum exquisitissima opus cura est. Nam his neglectis præclara sæpe de Pace concepta spes decollavit, aut saltem suspiciones, lites & altercationes non leves sunt exortæ. Sedulo igitur danda est opera, ut sine ambiguitate dilucidè expressisq; verbis concipiantur Instrumenta pacis, ne aliqua controvertendi deinceps occasio præbeatur. Vicissim ex altera parte in pactis pacificationum ad ea & eorum formulas attendendum est, ne postea eas aliter atque aliter explicandi ii, cum quibus res nobis est, occasionem capere possint. Possunt enim ambiguitate ludere paciscentes, & sub vocum dubiarum aut ductûs literarum insidiis nos decipere: cujus rei exempla plurima adduxit *Zwingerus in Theatr. volum. 7. lib. 5.* Sic literis fallebatur Philippus, Hassiæ Landgravius, cui inter alia scripto cautum erat: *Daß er mit einiger Gefängniß nicht beschweret werden solte.* Postquam verò à Duce Albano carceri mancipatus contra datam fidem secum agi querebatur, producebantur ipsæ literæ, in quibus (transversa dolosè unica literâ *Ewige pro Einige*) scriptum erat, *daß Er mit Ewiger Gefängniß nicht gestrafft werden solte.* *vid. Sleidan. lib. 19. Comment.*

§. XXI.

Cùm hæc omnia observata diligenter fuerint, *signantur demum & subscribuntur Instrumenta.* Appendantur etiam sigilla, & commutantur ea inter pacificantes, ut fidissimi rerum ac negotiorum custodes literæ sint. Hinc, ad amovendam penitus omnem sinistram opinionem, *juramenti religione quandoq; pacificantes se obstringunt.* Quavis enim vel simplex promissio conscient-

scientiam obliget, tamen juramentum fortius adhuc frantum conscientiam injicit, quam nuda promissio. Ut verò Juramentum ad ipsam pacificationis substantiam non pertinet, ita quandoque Principes tantum *sub Imperiali, Regali aut Principali fide* (bey Fürstlicher Treue und Glauben) promittere solent, pactum ratum fore, servatumque iri.

§. XXII.

Accedunt interdum, quò firmior sit amicitiae nexus, Affinitates, inter dissentientes contractae, validissimum sanè bellorum curandorum remedium. Ita olim Austria & Bohemia perpetuis bellis dissidebant: quando verò Ferdinandus I. cum Anna nuptias iniit, eò primùm etiam omnis hostilitas cessavit. v. Theat. Europ. p. 1. p. 157. Simili ratione anno 1612. caduceus quasi inter Galliarum & Hispaniarum Reges fuit Anna, Infans Hispaniae, & Elisabetha Galliae Regia Princeps. Et anno 1660. repetitae fuerunt iterum nuptiae inter hodiernum Gallorum Regem Ludovicum XIV. & Mariam Tereciam, Philippi IV. Hispaniarum Regis infantem, unaque bellum in pacem coaluit. Plura in hanc rem documenta vid. ap. Adam. Conzen. lib. 8. de Rep. cap. ult. num. 6. Nec tunc ejus rei exempla desunt, quando Rex Hispaniarum Carolus II. Ducis Aureliani, Regis Galliarum fratris, filiam, in matrimonium ducit. Quamvis saepe ne quidem necessitudines istae prohibere queant, quò minus bella instaurentur. Hinc Gramondus: Nuptiis, inquit, firmantur pax & foedera, duratum inter principes, quamdiu abstinuerint pravo dominandi extra fines suos affectu, cui apud illos ut plurimum tenacius nubitur: ubi autem eo se Principes spiritu agi patiuntur, non uxorum, non habetur ratio sanguinis, Hist. Gall. l. 2. p. 103.

§. XXIII.

Interdum etiam dari obsides solent, Illustres nempe Personae, Reipublicae Proceres, ipsi etiam liberi Regum, sicut Franciscus Galliae Rex filios suos duos natu majores obsides relinquebat ap. Carol. V. vid. Steid. & Gvicciard. Horum obsidum hæc olim fuit conditio, ut, si ipsorum Principales fidem fefellissent, occidere eos esset permissum: hodie autem is rigor exspiravit. Ad quò Quomodo referri etiam (quamvis hæc compositionem verius consequantur,) potest Exercitus dimissio. Nam quemadmodum

dum ad suscipiendum bellum requiritur, ut conscribantur copia: ita, vice versa, finito bello & sancitâ pace illæ dimittuntur, quoniam nullus earum usus amplius est. Reservandi quidem sunt, quantum ad præsidium regionis tot vel tot opus est: cæteri autem, persolutis stipendiis, dimittendi, ne vel seditiones moveant, vel latrocinia exercent. Item *publicatio pacis*. Postquam enim corroborata omnia sunt, publicatur Pax apud exercitum per tympanorum tubarumq; sonitum & tormentorum bellicorum displosionem. In civitatibus autem vel in foro publico proclamatur per caducatores, vel hominibus per campanarum clangorem convocatis in templo aut curia publicè manifestatur. Publicis etiam exscribi typis solent Pacis Articuli, ac nusquam non vendi, ut omnibus de restituta pace constet.

§. XXIV.

QUANDO.

Restat, ut dicamus, *quo tempore Pax omnium optimè firmetur*. Judicabat olim Cæsar, optimum tempus esse de pace agendi, dum sibi uterque pugnantium confidit, & pares ambo videntur. *vid. Cæs. lib. 1. de bell. civil.* *Ineunda ergò pax vel cum victores sumus, vel cum saltem vires adhuc validas habemus.* Quando enim victoria hosti cesit & res tuæ inclinæ sunt, etiam tu te inclines oportet. Tunc enim in victoris arbitrio relinquere cogeris, quas Pacis condiciones accepturus sis, cum antea, re adhuc integrâ, multò meliores obtinere potuisses. Unde ad Scipionem Hannibal ait: Si prætermittis hoc tempus, quo dare magis, quàm accipere pacem potes, vereor, ne hæc lætitia luxuriet, & vana Tibi evadat. *Liv. lib. 23. 12.* Sed portum jam video: quare

Anchora de prora jacitur, stant littore puppes.
Illud tantum adhuc ago, & Te, ô æternum Numen, qui non es Deus disensionis, sed pacis, (1. Corinth. 14.) supplicibus his precibus invoco: *Cogita super nos cogitationes pacis, & non afflictionis; ut des nobis finem & patientiam, & invocabimus te, & vivemus.*

(Jer. 29.)

Soli DEO Gloria.






ULB Halle 3
001 522 310



TA → OL

VD17





1888.

M.

1699
5
29

B. C. D.

DISPUTATIO POLITICA,

De

Compositione Pacis,

Quam,

In Inclyta Academia VVittenbergensi,

PRÆSIDE

VIRO Præcellente atq; Præclarissimo,

DN. M. JOHANNÉ MULLERO,

Facult. Philosoph. Adjuncto,

Examini publico sistit

GEORGIUS ERNESTUS A TSCHIRNHAUS,

Eqves Lufatus,

Ad d. 16. Augusti, A. S. M. DC. LXXIX.

horis locog; consuetis.



Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

RESPONDE

